

Peccatum ad cum fonte primo

Quatuor modis peccatum
perpetratur in corde, quatuor
consummatur in opere. In corde namque
suggestione, delectatione, consensu et
defensionis audacia perpetratur. Fit enim
suggestio per dyabolum, delectatio per
carnem, consensus per spiritum,
defensionis audacia per elationem.

Quatuor modis peccatum consummatur
in opere: prius namque latens culpa
agitur, postmodum eciam ante
oculos hominum sine confusione reatus
aperitur, deinde et in consuetudinem
ducitur, ad extremum quoque uel false
spei seductionibus uel obstinatione
misere desperationis enutritur.

Gregorius libro IIII. moralium.

Quattuor quippe modis peccatum
perpetratur in corde, quattuor
consummatur in opere. In corde namque
suggestione, delectatione, consensu et
defensionis audacia perpetratur. Fit enim
suggestio per aduersarium, delectatio per
carnem, consensus per spiritum,
defensionis audacia per elationem.

Culpa enim quae terrere mentem debuit,
extollit et deiciendo eleuat, sed grauius
eleuando supplantat. Vnde et illam primi
hominis rectitudinem antiquus hostis his
quattuor ictibus fregit. Nam serpens
suasit, Eua delectata est, Adam
consensit, qui etiam requisitus, confiteri
culpam per audaciam noluit. Hoc uero in
humano genere cotidie agitur quod
actum in primo parente nostri generis
non ignoratur. Serpens suasit quia
occultus hostis mala cordibus hominum
latenter suggerit. Eua delectata est quia
carnalis sensus, ad uerba serpentis mox
se delectationi substernit. Assensum
uero Adam mulieri praepositus praebuit
quia dum caro in delectationem rapitur,
etiam a sua rectitudine spiritus
infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam
confiteri culpam noluit, quia uidelicet
spiritus, quo peccando a ueritate
disiungitur, eo in ruinae suae audacia
nequius obduratur. Eisdem etiam
quattuor modis peccatum consummatur
in opere. Prius namque latens culpa
agitur; postmodum uero etiam ante
oculos hominum sine confusione reatus
aperitur; dehinc et in consuetudinem
ducitur, ad extremum quoque uel falsae
spei seductionibus, uel obstinatione
miserae desperationis enutritur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 4, 27
(CCSL 143, M. Adriaen ed., p.193, ll.9-
33).